

bus voluntariis, ut docet D. Thom. in *Suppl. q. 89. art. 2.*

130. Inq. 5. An peccent juvenes, seu quilibet personæ ingredientes religionem, ubi vita communis non observatur? R. neg. Quia usus peculii moderatus, & dependens a nutu Superiorum non est adeo illicitus, ut nequeat honestari causa necessitatis, ergo licite potest amplecti religio, illud permittens ex necessitate. Constat hoc plane in quodam Angelopolitano monasterio monialium, quibus ex sua regula, & constitutionibus approbatis a Julio II. an. 1511. permittitur præfatus peculii usus. idem liquet ex Bened. XIV. De Beatis lib. 3. cap. 41. n. 11. ubi asserit, *litium posse esse usum peculii, si ab ordinis constitutionibus, a summo Pontifice approbatis, permittitur, si regularis eo utatur in causis licitis, aut necessariis a Superiore approbatis.*

131. Igitur prædictus usus non est adeo malus, ut cohonestari nequeat. Unde religio illum tolerans ex necessitate, honeste, & laudabiliter amplecti valet. Hoc dicimus, non laudando usum peculii, sed non adeo illud reprobando, sicut quidam Junior. Si enim ejus declamationes contra religiones illud permittentes audiantur, actum est de omnibus fere sacris religionibus. Nam juxta ipsum non solum peccant eas ingredientes, sed eorum parentes, Confessarii, & consulentes eis ingressum. Ubi enim permittitur peculium, non servatur vita communis, & ubi non servatur vita communis, omnes degunt, ait ille, in periculo proximo damnationis.

132. Profecto sanctitatis prodigium S. Theresia amplexata fuit monasterium, ubi nec servabatur vita communis, nec monasterium providere poterat de necessariis monialibus, & nihilominus ibi adepta fuit mirabile virtutum incrementum, quod extreme opponitur junioris declamationibus. Imo quando exivit eadem ex illo monasterio dixit; quod remanebant ibidem quatuordecim saltem moniales tantæ virtutis, ut unaquæque earum posset fundare unam religionem, ergo falsum est peccare graviter ingredientes religionem, ubi non observatur vita communis. Numquam enim graviter peccasse S. Theresiam testantur omnes ejus Con-

fessarii: nec de ingressu in illud monasterium aliquando illam poenituit, Si autem ibidem quatuordecim saltem magnæ perfectionis animæ remanebant, minime verum est omnes in talibus monasteriis degentes versari in proximo periculo damnationis.

133. Valde distat a simili dicendi modo oraculum Christi Domini, qui eidem Theresiæ dixit *cap. 32. Visa*, quod, *licet religiones essent relaxatæ, non putaret parum sibi in eis deserviri, addens, quid esset de mundo, nisi ob religiosos?* En doctrina celestis, inducens ad venerandas, & amplectendas sacras religiones, illa enim recentioris ab illis retrahit. Nec favet ei exemplum in oppositum curus semifracti, in quo majori periculo ambulant, eo utentes, frangendi crura, quam alii, pedites incedendo. Si enim consideraret terram serpentibus scaterere, aliter discurreret, & minoris periculi diceret esse curum, etiam læsum, quam per terram ambulare.

134. In hac vita nullibi est securitas, nec in paradiso, nec in collegio Christi reperta fuit; tamen laudabile est amplecti illum statum, qui minus habet de periculo. Cogitet autem omnis impartialis pericula, & occasiones sæculi ex una parte, & ex alia cujuslibet religionis sibi agnitæ, non enim loquimur de campo Lunæ, & videbit graviora sine comparatione esse illa præ istis. Consideret furta, injustitias, fornicationes, adulteria, homicidia, quæ mundani passim perpetrant; aspiciat carceres repletas malefactoribus publicis, & alia flagitia impunita, & decernat sincere, an talia in religionibus, quantumvis laxis, adeo frequenter committantur, aut moraliter loquendo facile committi possunt? Et resolvat majora esse pericula sæculi, quam religionis, esto relaxatæ a primævo fervore. Ex duabus navibus, ad quas continuo aquæ intrant, ad unam vero majori copia per plures rimulas, minus caute obseratas, quam quæso ex illis eligeres ad navigandum in portum? Vel si cui in eodem mari exponatur duplex via, seu navigatio, altera plurimis procellis, & scopulis agitata, altera his periculis minus exposita, proculdubio quilibet prudens eligeret secundam, prima relicta. Quoad in via

sumus, omnes navigamus, at sæculares navigant sine dubio inter majores scopulos, procellas, & tempestates, quam religiosi cujuscumque religionis ex his, quas novimus.

135. Utinam omnes religiones, relegato omni peculio, in vitæ communis observantia, & primitivo splendore viverent! Sed licet hoc, attenta fragilitate humana, vix sit possibile, quia hominumquam in eodem statu permanet, non ideo sunt despiciendæ sacræ religiones. Nam, ut indicat laudatum Christi oraculum, esto sint relaxatæ, adsunt semper in eis viri, adeo virtute pollentes, ut propter eos parcat Deus mundo, ut olim propter decem justos perperisset civitatibus nefandis. Manet ergo licitum esse amplecti statum religionis, etiam ubi non cum tota perfectione desiderata servatur vita communis, & toleratur ex necessitate moderatus usus peculii, a nutu Superiorum dependens. Aliud quidem est sanam doctrinam tradere; aliud sacras religiones despectui communi exponere.

136. Objic. Supra dictum est usum peculii esse illicitum, ergo inconsequenter videtur nunc asseri oppositum. R. Quod usus peculii voluntarius, aut non necessarius semper est illicitus, & quantum fieri possit, ab omni religione vitandus: at necessitate cogente, & debitis conditionis servatis, honestari valere asserimus, nec oppositum supra diximus. Imo regularem, qui sic peculio uteretur, si alias virtutum heroicis præditus esset,

posse canonizari, ait *loc. citat.* Bened. XIV.

137. Inq. An communitas regularis afferat aliquas utilitates oppido, ubi existit? R. affirm. Quia imprimis adjuvat Parochos in suo apostolico ministerio, tum in excipiendis confessionibus per totum annum, & præcipue tempore quadragesimæ, tum in prædicatione verbi Dei, & instructione catechismi, & doctrinæ Christianæ, tum in auxiliandis moribundis; non enim potest sæpe Parochus, licet sit vigilans, & solerter velit suum munus obire assistere omnibus. Quæ ratione ex locis, ubi non sunt conventus, vel monasteria, continuo vocantur religiosi in auxilium, & juvamen ad hujusmodi munia subeunda, ut omnibus est notum. Verum est, quod hæc sæpius accidunt in oppidulis, ubi Sacerdotes sunt pretiosi, quam in urbibus, ubi abundant sacri ministri.

138. Præterea in oppidis sui incolatus laborant religiosi, ac serviunt ad pacificandas domos, familias, lites, rixas, ad odia, & dissidia componenda, ad solandos tristes, & afflictos, & ad alia caritatis, misericordiæ, & pietatis opera exercenda, & promovenda, ut testatur experientia quotidiana. Eadem est fidelis præco, & testis continuæ elemosynæ, quæ fit ad januas monasterii tam peregrinis, quam incolis; ultra peculiare, & secretas, quæ fiunt a piis Prælatiis. Plures igitur utilitates spirituales & corporales percipiunt oppidi a monasteriis regularium in eis existentibus.

TRACTATUS TRIGESIMUS NONUS

DE PRIVILEGIIS.

Sermo de privilegiis vastissimum est Oceanum. Cum igitur omnia recessere, brevitati, cui consulimus, non congruat, nec omnia reticere expediat; quædam scitu magis necessaria, magisque indubia innuere curabimus in hoc tractatu: quem ideo annectimus præcedenti

CAPUT I.

De privilegiis in communi.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio privilegii.

1. Inq. 1. Quid sit privilegium? R. Est *lex privata, aliquod speciale beneficium concedens*. Dicitur *lex* lato modo; sed differt a lege, quia privilegium ex natura sua non ordinatur ad commune bonum, nec requirit esse perpetuum, ut *lex privata* dicitur, quia indifferens est, ut concedatur communitati, aut singulari personae: per reliquas particulas datur intelligi, quod semper est favorabile privilegiato; ubi enim nullus favor adest, non est privilegium. Distinguitur a dispensatione, quia nec conceditur ad casum particularem, & transeuntur, & semper est vulnus legis; quod non convenit precise privilegio.

2. Dividitur 1. in *reale*, quod attingit ipsas res, aut statum, dignitatem, vel locum, & cum ipsis transit de uno in alterum; & *personale*, quod personam solum afficit, & cum eadem transit, & finitur. 2. In *scriptum*, quod scriptura traditur, & *Brevé*, vel *Bulla* appellatur; & *non scriptum*, ut quod consuetudine obfihetur, seu ore traditur, & *divae vocis oraculum* dicitur. Non enim scriptura requiritur ad essentialiam privilegii, sed solum ad eius probationem. 3. In *gratiosum*, quod liberaliter datur, & *remunerarium*, quod ex meritis conceditur. 4. In *absolutum*, idest nulla conditione, affectum; & *conditionale*, nempe quod cum conditione, aut pacto impertitur. 5. In *commune*, quod communitati conceditur: ut privilegium canonis concessum omnibus clericis: & *privatum*, quod singulari personae dirigitur. 6. In *odiosum*, quod uni favens, alterum laedit, & *favorabile*, quod favens uni, nemini prejudicat. 7. Pro *foro conscientiae*, non praecisse pro foro sacramentali, quia potest uti extra sacramentum; non valet tamen pro foro externo. Alterum pro *foro externo*, valens etiam pro foro conscientiae. 8. In *temporale*, quod pro tempore determinato concedi-

tur, & *perpetuum*, quod sine temporis determinatione traditur.

3. Privilegium ab alio nequit concedi, quam a Superiore legem condere valente, quia eximit a lege, ergo ille solus concedere privilegium valet, qui a legis observantia eximere potest. Ut vim habeat privilegium, si gratiosum sit, debet acceptari ab eo, cui concessum est, vel ab alio eius vices gerente; remunerarium autem acceptationem non semper postulat.

4. Quamvis regulariter requiratur notitia privilegii in privilegiato, & semper, ut licite operetur contra legem, aliquando potest valere, etiam illo ignorante, aut invito, quia potest Princeps ignarum, aut invitum habitare ad officia, & dignitates, sicut Papa liberare ab irregularitate, censura, vel impedimento matrimonii: nam pendet a potestate Principis haec omnia, quae tollere potest absque consensu subditi. Unde ad valorem privilegii nulla requiritur causa, nisi voluntas Principis; verum ut licita sit concessio, causa justa, & honesta exigitur. Ut de dispensatione in propria lege dictum est. *Tract. 3. an. 292.*

5. Nemo tenetur per se uti privilegio sibi concessio, ex regul. 61. *Juris in 6. Quae in gratiam alicujus concessa sunt, non debent in ejus damnum retorqueri*. Sed per accidens potest quis obligari, ut privilegio utatur variis in casibus. 1. Si ex non usu privilegii sibi notabile damnum immineret. 2. Quando ex non usu sequeretur grave praedjudicium proximo. Ut si quis, habens privilegium non solvendi tributa, eorum solutione redderetur impotens ad solvendum creditoribus.

6. Similiter mulier habens votum castitatis, post adulterium mariti tenetur uti privilegio recedendi, & observare votum. Est alius detentus in carcere, conceditur ei pargere ad Ecclesiam die festo; tenetur ire, & audire sacrum. Eodem modo habens privilegium illud audiendi, tenetur audire tempore interdicti. Quod etiam verius judicamus de habente privilegium oratorii, in quo commode potest assistere sacro, & implere praecceptum in die festo; licet enim non teneatur quarere, aut conducere sacerdotem, & solvere stipendium, si tamen opportuna offeratur occasio, nulla adest firma ratio, quare

quare ab auditione sacri excusetur.

PUNCTUM II.

De interpretatione privilegii.

7. Inq. 1. Quotuplex sit interpretatio privilegii? R. Est duplex, nempe *authentica, & doctrinalis*. Prima solum convenit jure ordinatio habenti facultatem concedendi privilegium. Per delegationem autem convenit etiam Superioribus religionum, qui facultatem habent admittendi, vel renuntiandi, seu limitandi privilegia ordina concessa, prout expediens judicaverint instituto, & regulari observantia propriae religionis.

8. Generatim autem loquendo, privilegium ita interpretandum est, ut non reddatur inutile. Deinde consideranda est mens, & intentio concedentis, & etiam supplicantis. Rursus ita debet interpretari, ut non sit onerosum privilegiato; sed ut potius aliquid illi tribuat, quam auferat. Materia etiam privilegii inspicienda est, cum circumstantiis antecedentibus, & consequentibus; ex omnibus enim agnoscitur legitimus sensus, & praecipue ex proemio, & principio privilegii: saepe enim ibi ponitur finis, & causa concessionalis.

9. Igitur privilegium, quod favorabile vocant, late est interpretandum: servata verborum proprietate, quoad fieri possit. Unde omnia privilegia contenta in corpore juris late sunt interpretanda, quia reputantur favorabilia: ut pote leges, & jura ordinata ad bonum commune. Privilegia vero, quae juri communi derogant, stricte sunt interpretanda; nisi alias privilegium redderetur inutile: quia voluntas Principis nunquam debet frustrari, licet privilegium extendi debeat ad aliquid odiosum, & ultra rigorosam verborum proprietatem. Etiam privilegium ex motu proprio, & certa scientia, licet contra jus commune, late est interpretandum. Similiter, quando consuetudo communis ita interpretatur. Est enim consuetudo optima legum interpres.

10. Privilegia, quae vocantur *odiosa*, & in praedjudicium alterius cedunt, semper sunt stricte interpretanda, imo illa, quae inferunt damnum tertio, privando

illum jure quassito, ita stricte debent interpretari, ut etiam cum improprietate verborum debeant restringi: quia suspicari potest aliqua subreptio in eorum concessionem. Privilegium ad *lites*, stricte etiam est interpretandum: ut vitetur occasio litigandi, & vexandi alios. Idem est de privilegio, quod dicitur *ambiciosum*: ut ad plura beneficia obtinenda, vel ad vacantia conferenda.

11. Privilegium ergo favorabile reputatur, quod conceditur statui, regno, communitati: unde talia plenissime sunt interpretanda; licet ex consequenti cedant contra jus commune, aut tertii: ut privilegia fori, canonis, & concessa regularibus, aut eorum domibus.

PUNCTUM III.

De communicatione privilegiorum.

12. Licet communicatio privilegiorum differat a privilegio concessio *ad instar*, in consideratione logica, seu essentiali metaphysica: tamen quoad intentum, & effectum idem sunt. Privilegium enim *ad instar* nihil aliud est, quam concessio *similis favoris*: et communicatio est quaedam extensio ejusdem favoris. Unde per communicationem privilegiorum intelligimus gratiam, aut privilegium concessum uni religioni, Provinciae, Ecclesiae, domui, aut Praelatis, extendi eodem modo alteri religioni, Provinciae &c. Regulares igitur, licet diversorum ordinum, jure optimo gaudent communicatione privilegiorum: quia, cum, ut operarii vineae Domini Sabaoth, uniantur inter se ad laborandum, & portandum onus diei, & aestus, aequum est, ut eisdem privilegiis, & gratiis potiantur: quare dixit Sixtus IV. in mari magno Augustinianorum: *conveniebat, ut quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia, & favores*. Quae ratione etiam Reges, & Principes exemptiones, & privilegia uni civitati concessa, soleat alteri concedere: ut quae patres fuerunt in fidelitate, obedientia, & obsequio, pares sint in favore, & praemia.

13. Inq. 1. Quae religiones communicent in privilegiis? R. 1. Omnes religiones mendicantes ita invicem communicant

re in privilegiis, tam concessis, quam concedendis, ac si unicuique nominatim singulari, & omnia fuissent concessa: taliter, quod possit Generalis unius ordinis id ipsum, quod possunt Generales aliorum, & proportione servata, idem esse de Provincialibus, Prioribus, Vicariis, Prædicatoribus, Confessoribus, & aliis: dum privilegia conceduntur intuitu dignitatis, officii, & laboris. Si enim concedantur ratione personæ singularis, non communicantur. Similiter privilegia concessa Ecclesiis, domibus, & religiosis unius religionis, ut sunt partes illius, ut indulgentiæ, & alia concessa pro festivitibus, communicant aliæ Ecclesiæ, domus, & religiosi cæterorum ordinum. Nisi concessa fuerint ob aliquam particularem rationem, quæ in aliis non reperitur: v. g. Si alicui congregationi detur privilegium recitandi de aliquo sancto, & reducendi numerum Missarum, vel conceditur indulgentia ob devotionem alicujus specialis imaginis, vel ob particularem circumstantiam Ecclesiæ, aut loci. Assertio constat ex Bulla Julii 11. die 1. Januarii anno 1509. concessa Minoribus, & Prædicatoribus. Et ex Leon X. qui idem concessit omnibus mendicantibus, & præter alios Clemens VIII. id ipsum concessit nobis Carmelitis Excalceatis die 23. Martii 1594. in Bulla, quæ incipit *Cum dudum*, apud Bullar. *Carm. tom. 1. pag. 216.*

14. R. 2. Religiones mendicantes communicare in privilegiis etiam cum aliis religionibus tam monachalibus, quam non monachalibus: ita ut omnia, & singula privilegia, indulta, exemptiones, & indulgentiæ illis convenient; non secus, ac si cuilibet ordini mendicanti nominatim concessa fuissent. Et idem est de donatis, aut conversis, (si veri religiosi sint, ut in nostra familia) & novitiis. Etiam e converso omnes aliæ religiones non mendicantes participant omnia privilegia, & indulta mendicantium eodem modo, ac si essent mendicantes. Unaquæque tamen religio attendere debet clausulas Bullæ communicationis, ut juxta restrictionem, vel ampliationem illius operetur.

15. R. 3. Moniales cujuslibet ordinis gaudere, & participare in his, in quibus sunt capaces, omnia privilegia con-

cessa, & concedenda fratribus sui ordinis; sicut e contra ipsi fratres communicant omnia privilegia monialibus sui ordinis concessa. Moniales itaque communicant in favorabilibus privilegiis religiosorum, & hoc licet non ipsis, sed Episcopis sint subjectæ: ratio enim, quæ movet Pontifices ad concedendam talem communicationem, est, quia eandem regulam observant, eandem vitam religiosam ducunt, idem institutum profitentur: quæ ratio æque militat in monialibus ordini subjectis, aut non subjectis. Similiter Tertiarii, & Mantellatæ mendicantium gubernationi subditi, habitum portantes religionis, & votum castitatis pro suo statu emittentes, gaudent eisdem privilegiis, ac mendicantes juxta eorum capacitatem. Confratres autem sæculares, eisdem solum gaudent, quoad indulgentias.

16. Generali dicta communicatione privilegiorum non solum gaudent religiones jam fundatæ, sed si quæ aliæ postea fundentur, communicant etiam invicem omnia privilegia, tam concessa, quam concedenda, eodem modo, ac si unicuique speciatim concederentur. Unde si aliqua religio decursu temporis amiserit privilegia sibi concessa, vel totaliter destruat, communicantes non amittunt privilegia, sed conservant jus illis utendi, communicatio enim non tam usus, quam jus utendi privilegio imperitur. Ex quo inferitur, quod statim ac privilegium conceditur primæ religioni, potest alia religio communicans libere uti illo, sive acceptetur, sive rejiciatur a prima; nisi adsit statutum regulare, ut prius acceptentur privilegia per Capitulum, vel per Definitorium, ut est apud nos 3. p. cap. 4. num. 7.

17. Inq. 2. De quibus privilegiis intelligatur dicta communicatio generalis? R. Non intelligi de privilegiis, quæ instituta, legibus, aut modo vivendi alterius religionis adversentur: quia privilegia religionis militaris v. g. nequeunt aliis adaptari, neque privilegia religionis laxioris, strictiori convenire; quod expresse cavetur in aliquibus privilegiis per hanc, vel similem clausulam: *Dummodo constitutionibus ordinis non contradicant;* quæ in omnibus Bullis implicite contin-

lli-

lligitur. Unde patres Cappuccini, si intuitu majoris perfectionis ex proprio instituto prohibentur confessiones sæcularium excipere, nequeunt uti privilegiis concessis Confessoribus regularibus circa absolutionem, & commutationem votorum: quia opponuntur suis constitutionibus. Similiter, quia nostræ constitutiones prohibent excipere confessiones seminarum ante trigesimum tertium annum, religiosi, qui illas audirent cum sola Episcopi licentia, nullo privilegio ordini concessa, possent illis suffragari.

18. Illa ergo privilegia, quæ uni religioni conceduntur intuitu religionis, doctrinæ, laboris, concessa intelliguntur aliis religionibus. Quæ vero ratione alicujus peculiaris circumstantiæ imperantur, non consentur alteri communicari. Illa, quæ conceduntur Prelatis, non communicantur subditis; ea vero, quæ subditis conceduntur, Prelatis communicantur.

PUNCTUM IV.

De usu privilegiorum.

19. Ad usum licitum privilegii præcipue consideranda sunt verba indulti: tum ex parte ejus, cui communicatur, tum ex parte modi, quo communicatur. Attendendum etiam est, an sit absolutum, vel conditionatum. Nam si fuerit conditionatum, certum est, non posse uti ante adimpletionem conditionis, quæ talis sit: ideo nemo potest uti privilegio Cruciatæ ante solutionem, vel cautionem elemosynæ, quæ conditio rigorosa est, distincta a modo, vel onere solito apponi in aliis rescriptis: ut dum virtute privilegii dispensatus est quis in votis, vel absolutus a peccatis cum hoc, vel illo onere, ubi tenet dispensatio, & votum, licet illud onus postea non impleatur.

20. Habens privilegium personale absolutum sine limitatione loci, ubilibet potest illo uti, sicut omni tempore habens privilegium perpetuum: sicut qui habet a Rege privilegium utendi gladio, ubique potest accingere se illo. Habens privilegium a Pontifice legendi libros prohibitos, ubicumque potest illos legere. Privilegio itaque Principis absoluto po-

test quilibet uti in omni loco, præcisio tamen scandalo, & statuto, consuetudine, aut lege municipali illius loci.

21. Regulares possunt uti suis privilegiis, licet alias habeant usum contrarium. Si vero oritur dubium, an sint in usu, aut de eorum valore, & firmitate, solus Pontifex potest decernere circa eorum usum, neque ab alio possunt impediri. Superiores regulares habent facultatem auferendi, vel limitandi privilegia pro suis inferioribus, nisi sint in corpore juris inserta. Ad ipsos enim pertinet vigilare pro majori observantia.

22. Privilegiatus nequit uti privilegio adversus alium pariter privilegiatum: quæ ratione minores, aut milites adversus alios minores, & milites nequeunt uti privilegio militum, aut minorum, nam inter personas æque privilegiatas cassantur, & eliduntur privilegia, & attendendum est jus commune. Si vero unum privilegium sit fortius altero, vel antiquius, prævalet adversus novum. Idem est, quotiescumque agitur de damno vitando, vel lucro acquirendo, quippe tunc ille præfertur, qui passurus est damnum. Similiter habens privilegium particulare prævalet contra generale; ut qui gaudet privilegio speciali non solvendi decimas, vel tributa, potest se defendere adversus alium, qui habet generale accipiendi decimas, & tributa: quia speciale prævalet generali, cum generi derogetur per speciem: *Regul. 34. de regul. jur. in 6.*

23. Certum est neminem uti posse privilegiis legitime revocatis. Unde licet antiquitas esset varietas inter authores, an regulares possent, saltem pro foro conscientie, uti privilegiis revocatis a Tridentino; jam omnes conveniunt, nullatenus posse; maxime post Alexand. VII. decretum damnans propositionem 36. quæ dicebat: *Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.*

PUNCTUM V.

De cessatione privilegii.

24. Inq. 1. Quot modis cesset privilegium? R. Ocho modis; nempe morte concedentis, temporis lapsu, cessatione causæ finalis, renuntiatione, revocatione, non usu, abusu & præscriptione.

25. Inq. 2. Quando cesset privilegium morte concedentis? Pro resolutione sciendum est, quid sit rescriptum gratiæ, aut justitiæ? Quid res integra, aut incepta? Quid gratia facta, & faciendæ? Igitur *rescriptum justitiæ* est facultas data ad exercendos actus justitiæ, sive civilis, sive criminalis; ut facultas cognoscendi de tali causa. *Rescriptum gratiæ* est potestas ad conferendum gratiose aliquid: ut ad dispensandum, & absolvendum. *Res incepta* dicitur, quando delegatus incepti uti facultate, sibi concessa. *Res integra* est, quando nullum actum exercuit circa rem sibi delegatam. *Gratia facta* dicitur, quando alicui per se primo, & absolute conceditur facultas ad aliquid independentem ab alio; ut facultas mihi generaliter concessa ad absolvendum, dispensandum, vel conferendum beneficia. *Gratia faciendæ* est facultas alicui concessa intuitu certæ personæ: ut facultas Petro data de provisione certæ personæ in determinato beneficio.

26. His suppositis: dicendum est, quod gratia facta non expirat morte concedentis in rescriptis gratiæ, sive res sit integra, sive incepta; in rescriptis tamen justitiæ, si res sit integra, expirat morte naturali, sive civili delegantis: quia tota jurisdicção delegati pendet, usquedum ea uti cœperit, a delegante, ergo isto deficiente, perit jurisdicção, quæ incepta non est. Si vero incepta fuerit, non expirat morte concedentis: quia ex quo inceptum est de gratia faciendæ: quæ, si res integra sit, expirat morte concedentis; secus vero si incepta fuerit. *Ex cap. Si super gratia, de offic. delegati in 6.*

27. Ex dictis sequitur 1. Licentiam concessam Sacerdoti audiendi confessiones non expirare morte concedentis: quia est gratia facta ipsi Sacerdoti. 2. Quod

facultas mihi concessa per Bullam, vel jubileum eligendi quemlibet confessarium approbatum; vel recipiendi ordines extra tempora, celebrandi, vel audiendi Missam in oratorio privato; & aliæ similes non cessant morte concedentis: quia sunt gratia facta. Eadem ratione omnia privilegia, indulgentiæ, sive indulta religionibus concessa non expirant morte concedentis. 3. Non expirare morte concedentis dispensationes, quæ committuntur expediendæ ab Ordinario, & aliis viris probis, & doctis: quia est gratia facta ipsi dispensando. Quod si detur Petro facultas absolvendi, vel dispensandi circa determinatas personas in favorem illarum, & res sit integra, expirat morte concedentis: quia est gratia faciendæ, non facta.

28. Per mortem privilegiati cessat privilegium, si fuit concessum cum expressione nominis, vel intuitu personæ: quo modo est personale. Si autem concessum fuit exprimendo tantum officium, aut dignitatem, non expirat morte privilegiati: quia tunc est reale, & transit ad successores: quod verum est, sive rescriptum sit justitiæ, sive gratiæ.

PUNCTUM VI.

Ceteri modi, quibus cessant privilegia.

29. Privilegium concessum pro determinato tempore, hoc elapso, cessat. Quando vero conceditur absolute, perdurat usque ad revocationem. Si autem aliqua conditione concedatur, standum est naturæ, & circumstantiæ talis conditionis.

30. Per cessationem causæ non cessat privilegium absolute, & sine limitatione concessum, ut dictum est de dispensatione. Cæterum quando conceditur non absolute, sed dependenter a causa, solum quamdiu causa durat, existit privilegium.

31. Per renuntiationem perfectam, & consumatam, ut dum a Superiore legitimo acceptatur, deperditur privilegium. Renuntiatio autem privilegii solum fieri potest ab eo, cui conceditur privilegium. Unde nullus clericus potest renunciare privilegium fori, aut canonis: quia non sibi,

sibi, sed statui clericali conceditur. Et idem est de regularibus. Ex quo sequitur, quod privilegium concessum toti religioni, Provinciae, aut conventui, solum potest renuntari a tota religione, provincia, aut conventu.

32. Privilegia mere gratiosa, quæ privilegiati afferunt commodum, & aliis nullum inducunt incommodum: ut confitendi, absolvendi, concionandi, celebrandi, aut audiendi Missam tempore interdicti, & similia, non amittuntur per non usum, aut contrarium usum: quia privilegium non obligat ad suum usum: & alias non datur præscriptio, cum nulla sit pars legitima, ergo non deperditur per non usum, aut per usum contrarium. Neque per non usum mere negativum, aut per contrarium usum absque animo renuntiandi, vel qui procedat ab aliquo errore, vel ignorantia, datur tacita renuntiatio, quæ deperdat privilegium, ut habens v. g. privilegium non solvendi decimas, gabellas, aut tributa, seu officia reipublicæ, licet hoc anno eas solvat, non amittit privilegium in futuro; stat enim optime privilegiatum velle conservare privilegium, licet aliquando illo non utatur.

33. Privilegia, quæ in aliorum gravamen cedunt, & aliis sunt onerosa, ut de exigendo tributo, possunt deperdi per non usum, aut per usum contrarium ratione præscriptionis: quia gravatus per privilegium alterius potest præscribere in possessione suæ libertatis tempore, quo privilegiatus, data opportunitate, & occasione, non utitur libere suo privilegio. Non autem illud amitteret, si concessum fuit eum clausula, quod eo utatur, *pro ut libuerit: quando voluerit.* Tunc enim usus privilegii arbitrio privilegiati relinquitur, *quod est in eis magis.*

34. Amittitur denique privilegium por ejus abusus: nam privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate. *Cap. Ubi. Dist. 34.* Tunc autem dicitur aliquem abuti privilegio, quando illud extendit ultra id, quod sibi concessum est: vel ex ipsius usu sumit occasionem liberius agendi: vel quando pravis moribus fini privilegii opponitur: ut si beneficiario concedatur privilegium lucrandi fructus absque residen-

tia ob studium; si non studeat, aut terat tempus vanis rebus, amittitur privilegium percipiendi fructus. Quando privilegium abutens eo privatur a jure in poenam abusus, requiritur saltem sententia declaratoria criminis, ut in clerico incedente sine habitu, & tonsura, qui amittit privilegium clericalem, si ter admonitus, non respiciat; idem est de clerico negotiatore; at quando quis privilegio abutitur, non ponendo conditionem, sub qua concessum est, ipso facto illud amittit: ut qui indignum eligit, ea vice jure eligendi ipso facto privatur.

35. Ad præscriptionem legitimam contra privilegia particularia requiritur tempus continuatum saltem decem annorum inter præsentem, & viginti inter absentes. Contra privilegia autem pianum causarum saltem triginta inter præsentem, & quadraginta inter absentes debent transire. Contra romanam Ecclesiam non datur præscriptio nisi centum annorum. Contra privilegia regularium ex jure communi requiruntur quadraginta anni. *Cap. volumus. §. 16. quest. 4. cap. Accedentibus, de privilegiis.* Ex jure vero particulari Eugenii IV. requiruntur sexaginta anni, et amplius ex aliis Pontificibus.

PUNCTUM VII.

De revocatione privilegii.

36. Privilegium potest revocari ab eo, qui illud concessit, vel a successore in potestate, valide sine causa, licite vero cum ea. Quod intelligendum est de subditis Principis: Privilegium enim concessum non subdito, & ab eo acceptatum, nullus potest revocare nisi esset graviter perniciosum Regi, aut regno: quia transit in contractum, & jure quasi-tum. *Cap. de rebus in remota.*

37. Pro intelligentia cæterorum, quæ dicenda sunt, notandum est discrimen inter privilegium *gratosum*, *onerosum*, & *remuneratum* ex justitia, & ex gratia. *Gratosum* dicitur, quod pendet ex benigna voluntate Principis; nam licet merita adsint, non tamen ex illis movetur. *Onerosum* est, quod datur ob aliquod onus

exhibendum a privilegio, & induit rationem contractus do, ut des, facio, ut facias. Remunerativum ex justitia appellatur, quando datur in premium obsequiorum, quae alias non erant debita: & tribuunt privilegio jus agendi, & actionem implorandi officium iudicis pro meritorio satisfactione, ut miles strenue pugnans in bello, quin alias teneretur. Remunerativum ex gratia dicitur privilegium, quando licet merita praecesserint, alias erant debita, vel ita liberaliter exhibita, ut nullum pactum, neque implicitum imbibant, ut privilegia regularium.

38. His suppositis, dicendum est 1. Quod privilegium mere gratuitum, nullius rei dominium transferens in privilegiatum, sed praebens facultatem ad agendum, vel non agendum contra jus, vel praeter jus, potest a concedente, ejus successore, vel Superiore revocari valide, etiam sine causa, & licite cum illa: quia haec privilegia, ut pote gratiosa, in fieri, & conservari a Principis voluntate dependent, ergo valide revocantur etiam sine causa. Verum, quia voluntatem mutare sine causa est indicium inconstantiae, & levitatis, & contra naturam privilegii, quod a Principe concessum decet esse mansurum, juxta regulam, *Decet, in 6.* ideo illicite sine causa revocatur.

39. Dicendum est 2. Quod privilegium, transferens dominium oppidi, hereditatis, officii, dignitatis, & similitum a privilegiato acceptatum; a nemine quit revocari absque urgentissima causa: quia est quaedam donatio jam acceptata; qua ratione eadem causa, quae ad donationem acceptatam revocandam requiruntur, etiam ad privilegium revocandum necessariae sunt.

40. Dicendum est 3. Privilegium onerosum, & concessum ratione dati pretii, aut operis injuncti nequit revocari, nisi ob causam boni publici, & reddendo pretium acceptum: quia omnes tenentur stare contractui inito, & obligatio oritur ex ipsa justitia.

41. Dicendum est 4. Privilegia regularium non esse remuneratoria ex justitia, sed ex gratia, posseque revocari a summo Pontifice ex justa causa: quia licet omnia privilegia regularium concessa sint a romanis Pontificibus in premium,

& remunerationem laborum, quos pro Ecclesia Dei passi sunt, & quotidie patiuntur in Confessionario, continuo studio, & observantia regulari, in praedicatione ad fideles, & infideles, postposito periculo salutis, & vitae: sunt tamen haec omnia praecipue ob amorem Dei, & proximi, retributionem a Deo expectando: unde non praebent jus rigorosum, aut ex justitia ad remunerationem, licet aequissimum sit, & consonum rationi merita praedicta remunerari.

42. Verumtamen privilegia regularium non censentur revocata per clausulas generales, nisi de ipsis specialis mentio fiat: neque in dubio praesumuntur revocata. Duplex enim potest esse revocatio: alia expressa, ut cum dicitur: *revocamus, annullamus*, haec etiam potest esse specialis, vel generalis. Specialis est, cum per eam revocatur in particulari aliquod speciale privilegium. Generalis, cum in communi, & in genere revocantur per similes clausulas: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*. Alia tacita, ut quando princeps jubet, vel concedit aliquid, quod non potest habere effectum, nisi revocando privilegium contrarium. Igitur ad revocationem expressam privilegii, absolute loquendo, sufficit clausula generalis supra posita.

43. Item excipiuntur privilegia onerosa, & ea, quae aliqua clausula fulciuntur, ut nequeant revocari, nisi de eis expressa mentio fiat. Idem dicendum est de privilegiis insertis in corpore juris. Et similiter de concessis a Concilio generali, ista enim a fortiori exigunt ad sui revocationem, ut de Concilio generali mentio fiat, saltem in communi. Quae omnia intelligenda sunt, quando non constat de mente revocantis; si enim constaret Principem velle per clausulas generales revocare quodcumque privilegium, revocatum certe manebit.

44. Revocatio tacita, quae fit per legem, privilegium, vel aliud statutum contrarium praecedenti, datur semper, ac privilegium, vel dispositio nova expeditur ex certa scientia, & notitia prioris privilegii in ea parte, qua isti est contrarium. Privilegium ergo insertum in corpore juris revocatur per dispositionem novam illi contrariam; licet, in ista non sit

sit clausula revocatoria illius; quia Princeps non censetur ignorare ea, quae sunt in copore juris. Privilegium vero speciale non derogatur per legem, aut privilegium generale illi contrarium, licet procedat ex certa scientia: quia non praesumitur in Principe notitia specialis privilegii; sed ignorare potest jura, facta, & consuetudines privatas. cap. 1. de consuetudinibus in 6.

45. Aliqua publicatio revocationis requiritur, ut privilegium revocatum judicetur. Si revocatio fiat per legem contrariam, debet publicari solemniter, sicut ipsa lex: eadem enim publicatio legis est publicatio revocationis: & haec appellatur revocatio a jure. Revocatio vero ab homine, seu privata, sufficit, quod innotescat, aut intimetur per nuntium, vel epistolam privilegiato.

PUNCTUM VIII.

De revocatione viva vocis Oraculi.

46. Vivae vocis Oracula nuncupatur quaedam gratiae, seu iudicia, ore tenus a Pontificibus concessa: aequali potiuntur valore, ac privilegia, & solum differunt accidentaliter, in eo, quod privilegia bullata expendantur scriptura manu Papae subscripta; Oracula vero non scripto, sed voce conceduntur.

47. Sciendum est autem, quod Greg. XIV. revocavit omnia oracula a se, & suis praedecessoribus concessa, praeter illa, quae authentica essent, & manu aliqujus Cardinalis subscripta: vel ad instantiam Regum obtenta. Deinde Urbanus VIII. amplavit eandem revocatoriam quaedam Constitutione, licet eam postea temperarit, declarans nolle comprehendere Oracula subscripta per Pontificis officiales.

48. Igitur per praedictas Bullas revocata sunt omnia viva vocis Oracula concessa regularibus, quae suum effectum primum sortita non sunt ante revocationem: ut si regularis per viva vocis Oraculum obtinuit a Pontifice gradum magistri, vel quid simile, etiam post dictas revocationes, gauderet gradu accepto, & praemissis illi annexis: quia effectus principis illius privilegii, aut Oraculi est cons-

tituere graduum in tali dignitate cum honoribus, & exemptionibus magistris: qui effectus completus fuit ante revocationem. Neque in hac materia satis implexa amplius immorari lubet.

PUNCTUM XI.

De confirmatione privilegiorum.

49. Confirmatio est juris quasi roboratio. Non dat novum esse, sed antiquum roborat, & ad pristinum vigorem reducit. Duplex communiter designatur. Una in forma communi sine speciali examine, & notitia privilegii: altera ex certa scientia, hoc est, cum perfecta notitia, & examine privilegii, & eorum, quae ad illius conditionem spectant. Sed ut confirmatio ex certa scientia dicatur, non requiritur, quod totus tenor privilegii confirmandi inseratur in confirmatione. Imo sufficit, quod ex aliis verbis scripti constet Principem cum plena facti cognitione procedere: ideoque sufficit clausula aequipollens illi ex certa scientia; ut est, *de plenitudine potestatis*: per quam significat, se non solum velle operari secundum jus commune, sed supra, vel contra illud: quod non praesumitur facere, nisi ex certa scientia operetur.

50. Confirmatio ergo in forma communi nihil aliud est, quam simplex approbatio privilegii; nec ampliat, nec supplet defectus, nec validum reddit, quod invalidum erat. Confirmatio vero ex certa scientia reddit privilegium de invalidum, validum; supplet defectus, & restituit amissum per non usum, vel contrarium usum. Excipe, si apponatur clausula: *quatenus sunt in usu*. Tunc enim non confirmantur privilegia, quae non sunt in usu. Neque umquam revalidat privilegium, quod a principio fuit nullum, obreptitium, vel surreptitium; quia mens Principis tantum est revalidare privilegia, vel a praedecessore revocata, vel per non usum deperdita.

51. Non tamen revalidantur privilegia revocata per jus commune, aut Concilium generale. Nec quae cedunt in damnum tertii: nisi confirmans ex certa scientia expresse dicat: *Non obstante revocatione juris communis, aut Concilii generalis*: vel

non obstante iurè tertii. Vel quando Pontifex concedit aliquam gratiam, quam scit suum non posse sortiri effectum, nisi cum præiudicio juris communis, aut tertii; alias privilegium esset frustraneum.

52. Per confirmationem privilegiorum unius ordinis non confirmantur privilegia propria & pecuniaria alterius. Si tamen religio aliqua communicat in concessis, & concedendis, ut nostra familia discalceata, per confirmationem privilegiorum cuiuslibet religionis, confirmantur privilegia istius, si confirmatio extendatur ad propria, & communicata, sive communia. Ita concessit nobis Clemens VIII. Constituit. *Romanus Pontifex* 20. Aug. 1603. quam amplavit Paulus V. die 24. Septembr. 1605.

CAPUT II.

De privilegio immunitatis Ecclesie.

53. Nomine immunitatis intelligitur privilegium, quod habent Ecclesie fidelium, & domus regularium, ut sint velut civitates refugii pro omnibus, qui commisso aliquo delicto ad ipsas, ne capiuntur, incarcerationentur, aut puniantur, confugiunt. Concessum est iure civili. *Cod. de his, qui ad sacrosanctas Ecclesias confugiunt.* Ex iure canonico. *Cap. Inter alia, de immunit. Eccles.* Quod confirmavit Tridentinum sess. 25. cap. 20. Et amplavit, ac declaravit Gregor. XIV. die 22. Maii 1591. Idem fecerunt postea Bened. XII. & Clem. XII. & novissime Benedictus XIV. Et licet immunitas hæc non sit ex iure divino, aut naturali, valde tamen utriusque consentanea est. In lege enim veteri assignate erant civitates refugii pro delinquentibus, & templum Salomonicum tali fruebatur privilegio, ut probabiliter colligitur ex lib. *Exod.* 21. & 3. *Regum* 11.

54. Unde contra hoc privilegium prævalere potest consuetudo legitima, ad quam Authores recurrunt pro aliquibus casibus particularibus, sed raro admittenda est talis consuetudo, & semper in favorem immunitatis iudicandum est: utpote pia causa, & favorabilis Ecclesie, & privilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam exigit inter-

pretationem. Quibus statutis, ut materiam adeo utilem, & necessariam clarius explicemus, primo agemus de locis, quibus talis immunitas competit. 2. De personis, quibus proficit. 3. De delictis, quibus illa deperditur. 4. De effectibus illi connexis, ac de crimine, quod illius violatores committunt, & de penis contra illos.

PUNCTUM I.

De loco sacro, cui immunitas competit.

55. Inq. Quis sit locus sacer, cui immunitas competat? R. In primis omnes Ecclesie consecratae, quæ vere loca sacra sunt, gaudent immunitatis privilegio. Deinde omnes alie Ecclesie benedictæ, quia loca sacra sunt, & Deo dicata. Etiam Ecclesia non consecrata, aut benedicta, si in ea divina officia celebrentur. *Ex cap. Ecclesia, de immunit. Eccles.* Pro Ecclesiis autem omnibus requiritur, quod auctoritate Episcopi sint erectæ. Nec requiritur, quod in ea Eucharistia servetur, neque quod re ipsa in ea celebrentur officia, sed quod possint celebrari, sufficit, ut locus sacer sit. Nec requiritur, quod Ecclesia sit perfecte constructa, si tamen constructio continetur. Extenditur privilegium ad Ecclesias interdictam, & pollutam, & etiam ad destructam, & dirutam, nisi auctoritate Superioris sit penitus eversa absque intentione, & spe reedificationis.

56. Non solum gaudent hac immunitate Ecclesie, quoad totum ambitum internum, sed quoad totam fabricam externam, cappellas, sacristias, parietes, turres, tecta, atrium, claustra, porticum, & omnia, quæ Ecclesie per se sunt connexa. Denique coemeterium licet non sit connexum. Et licet iure antiquo etiam confinia Ecclesie cathedralis per circuitum quadraginta passus, & pro minoribus triginta extra muros civitatis gaudent eadem immunitate: Ubi vero consuetudo contraria inualuit, non adest locus privilegio.

57. Extenditur etiam ad hospitalia, & oratoria publica auctoritate Episcopi erecta. Oratoria autem privatim non gau-

PUNCTUM II.

Quæ personæ gaudeant privilegio immunitatis.

gaudet, licet auctoritate Episcopi erectum. Extenditur similiter privilegium ad tabernaculum Sacrosanctæ Eucharistiæ, & ad Sacerdotem illam portantem, ad quem reus confugiens gaudet immunitate; nisi accidat in carcere, quo Sacerdos eam deferret. Primum habetur expressissima consuetudine ob debitam reverentiam tanti sacramenti. Extenditur etiam ad palatium Episcopi, licet absens, vel mortuus fuerit, dummodo alteri non sit locata domus.

58. Tandem hoc extenditur privilegium ad domos, & monasteria regularium secundum totum ambitum, quod septimum est, ut comprehendit etiam dormitorium, officinas, hortos, viridaria; quia licet hæc ad effectum pollutionis, & violationis non reputentur loca sacra, & religiosa, bene tamen ad effectum immunitatis, ut habetur *ex cap. Si quis contumax. Cap. Frater. Cap. Minor. 17. q. 4. Ex leg. Patent. De his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Unde si quis confugiens ad monasterium se projiciat intra muros illius, aut in atrium monasterii, gaudet immunitate. *Cap. Si quis. Cap. Desinit.* Villæ, seu Grangie, quas recreationis causa habent Cistercienses, & cum illis communicantes, potiuntur eodem privilegio concessio ab Eugenio IV. Denique monasterium inceptum pro habitatione regularium contiguum Ecclesie, quamvis solus religiosus habitet pro fabrica, & etiam domus illi contigua, & a religioso habitata, quia in favorabilibus inceptum pro finito habetur. Hæc vera sunt inspecto iure communi præscindendo a particularibus regionum iuribus, quibus standum est; quia propter multitudinem, & extensionem delictorum, restrictum est alicubi privilegium. Pro nostra Hispania Clemens XIV. in bulla quæ incipit *Ea semper*: anno 1772. ad instantiam Regis catholici restrinxit immunitatem localem ad unam, vel duas tantum Ecclesias in quolibet populo, vel civitate juxta assignationem Ordinariorum; præscribendo modum extrahendi facinorosos confugiens ad alia loca sacra immunitate carentia, ne a ministris justitiæ aliqua irreverentia templis Deo dicatis irrogetur.

59. Dicendum est omnes fideles cuiuscumque conditionis, quantumvis gravia delicta commiserint, exceptis iure expressis, possunt gaudere hoc privilegio. Unde excommunicati, suspensi, & interdicti ab ingressu Ecclesie non excluduntur ab hoc privilegio: quia Ecclesia in illo non tam attendit ad excommunicationem, quam ad loci sanctitatem, & reverentiam. Uterius hæretici, si ob alia crimina, præter hæresim, ad Ecclesiam confugiant, eodem fruuntur beneficio. Infideles autem, si vere vellet converti, etiam gaudent, secus vero si nollint; quia dignum est, ut Ecclesia defendat eum, qui illi obedire cupit, & adiciat illum, qui renuit. Unde si infidelis ante delictum dederit signa veræ conversionis, æquum est, ut Ecclesia illum defendat.

60. Similiter incarceratis, qui fracto carcere, ad Ecclesiam confugiunt, favet dictum privilegium. Item captus a ministris justitiæ, etiam si ad supplicium duceretur, & de manibus ministrorum se eximeret, confugeretque ad Ecclesiam, gaudet ejus immunitate. Secus autem debet dici de illo, quem ministri per locum sacrum ducerent comprehensum ad carcerem: quia ipse non confugit ad Ecclesiam, sed per illam vinculis trahitur.

61. Clerici sæculares, & regulares, ubi non est consuetudo legitima in contrarium, gaudent etiam hoc privilegio immunitatis respectu suorum Praelatorum. Ita colligitur ex Constitutione Benedicti XIV. data idibus Martii 1750. quæ incipit: *Officii nostri* §. 6. & 7. Ubi declarat, quod excluduntur ab hoc privilegio immunitatis clerici, & regulares, qui crimen homicidii commiserint, ergo e contrario propter alia non sunt privati ab immunitate. Usus tamen communis stat in oppositum.

62. Gaudent etiam illa debitores, qui ne a creditoribus in carcerem mittantur, ad Ecclesiam confugiunt, ut quotidiana experientia demonstrat. Extenditur etiam

ad negotiatores fallitos, illos nimirum, qui, exercentes quaestuariam negotiationem, laute, & opipare vivunt, deinde impotentes creditoribus satisfaciendi, ad Ecclesiam confugientes plures creditores misere perduat.

PUNCTUM III.

De criminosis, qui ab hoc privilegio excluduntur.

63. Inq. 1. Quot, & quæ sint criminosa, ob quæ immunitas Ecclesie delinquentibus denegatur? R. Gregor. XIV. in sua constitutione supra laudata ad septem casus illa reduxit.

64. Primo excludit *publicos latrones*, ille dicitur publicus latro, qui palam, & publice furatur, aut per insidias in via publica, aut in domibus privatorum violenta. Sed debet constare esse publicum latronem publicitate juris, aut facti: ex quo fit, alium quemcumque furem simplicem, etiam in Ecclesia vel ab Ecclesia aliquid surripientem, non excludi ab isto privilegio, quia solum publici latrones excipiuntur, & exceptio firmat regulam in contrarium.

65. Secundo, *viarum grassatores*, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Viarum grassator dicitur ille, qui impetu graditur in viis publicis, & frequentatis, ut viatores expoliet, vulneret, vel occidat. Cum istis numerantur *depopulatores agrorum*, qui videlicet agros alienos, segetes, vineas, oliveta, aut fructus devastant, ac destrunt.

66. Tertio, *qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel cœmenteriis committere non verentur*: Tales, sive existentes in Ecclesia occidant, vel mutilent existentem extra Ecclesiam, & potiori jure, si existentes extra Ecclesiam, occidant existentem intra illam; mandantes autem, vel consulentes occisionem in Ecclesia non excluduntur ab immunitate. Quia privatio immunitatis est lex poenalis, quæ limitari debet tantum ad expressum.

67. Quarto, *qui proditione proximum suum occiderit*. Verum licet ex constitutione Gregoriana solum proditor homicida immunitatis privilegio excludatur; ex laudata tamen Benedicti XIV. §. 9. de

omni homicidio directo, etiam in rixa commisso, dummodo casuale non sit, aut ex necessaria defensione, idem dicendum est. Comprehendit enim, *quemcumque homicidam, sive virum, sive mulierem, sive laicum, sive Ecclesiasticum secularem, aut cujusvis ordinis regularium regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit*.

68. Quinto excluduntur *assassini*. Dicitur *assassinus*, qui pecunia, aliove quocumque pretio conducitur ad Christianum occidendum. Sufficit autem promissio, & acceptio pretii pro tali occisione, ut, ea secuta, excludatur a privilegio immunitatis. Sed mandantes, aut consulentes, & idem est de mediato-ribus, & complicitibus, vel favoribus assassinatus, incurrunt dictam poenam, etiam morte non secuta. *Ex cap. 1. de hom. in 6.*

69. Sexto *hæretici*. Ratione istius immunitatis privantur hæretici, cum sit gravissimum crimen Ecclesiam De funditus evertens. Idem intelligas de recipientibus, occultantibus, defendentibus, aliove modo hæreticis auxilium præstantibus, si quatenus hæretici sunt, eis opitulenter, secus esset in foro interno, si quia amicus, aut consanguineus aliquis eis auxilium præberet. In quo etiam casu privaretur immunitate in foro externo, quia præsumeretur suspectus hæresis, cui non suffragatur immunitas.

70. Septimo privantur hujusmodi privilegio *rei læsæ majestatis in personam ejusdemmet Principis*. Crimen læsæ majestatis in personam Principis est qualibet illius læsio, percussio, vulneratio, machinatio, seditio, conjuratio, vel proditio. Sufficit ergo, quod crimen inferatur in personam Principis per aliquam ex istis actionibus, ut, tamquam reus læsæ majestatis immunitate privetur. Fabricatio autem, vel falsificatio monetæ, licet sit crimen læsæ majestatis, non tamen in personam Principis, sed in ejus statum.

71. Bened. XIV. in laudata constitutione alium addit casum, quo immunitas nullatenus valet, videlicet, pro violatione ipsius immunitatis, quando magistratus, Judices, aut eorum officiales ab Ecclesia delinquentes extrahunt, vel ipsa loca immunita obsident, aliisque artibus confugientes ad illa impedire temere

mere præsumunt, vel alimenta eis denegare efficiunt. Similiter excipiuntur surripientes, & asportantes ex malo fine Eucharistiam, & etiam mandantes, ut habetur in Bulla ejusdem Pontificis incipiente: *Ab Augustissimo, data 5. Martii 1744.*

PUNCTUM IV.

De effectibus hujusmodi immunitatis.

72. Primus effectus immunitatis est, ut criminosis ad Ecclesiam confugiens in ea capi, aut ab ea invitatus extrahi non possit. Unde si per vim ab aliquo extrahatur, non poterit a Judice capi, sed Ecclesie restitui debet. Si vero blanditiis, vel dolosis verbis inductus reus a loco immuni exeat, potest capi, & puniri a Judice, & idem est, si libere, & sponte exeat.

73. Secundus effectus est, ne reus in loco immuni vinculis alligetur, vel alio modo personaliter vexetur. Tertius, ne existenti in Ecclesia impediatur alimenta, & cætera vitæ necessaria. Quartus, ne bona propria delinquentis, quæ secum ad Ecclesiam tulerit, auferantur. Quintus, ne reus, dum in Ecclesia existit, damnetur ad mortem, vel ad aliam poenam corporalem: licet ex consuetudine Judex possit exquirere, & citare reum, & proferre in eum sententiam, quæ executioni nequit mandari, quandiu reus immunitate gaudeat.

74. Sextus, quod extractus extra casus in jure exceptos ante omnia debeat Ecclesie restitui ob regulam generalem: quod expoliatus ante omnia est restituendus. Sufficit autem, quod cuilibet Ecclesie restitutio fiat. Septimus, quod extractio injusta, & omnes actus ex illa secuti, nullius roboris sint, utpote facti a Judice non competente. Extrahens violentè reum ab Ecclesia non committeret proprie peccatum injustitiae in reum; sed tantum sacrilegii contra locum sacrum, juxta B. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 2. ad 3.

75. Octavus denique effectus immunitatis est, ut si Judex velit extrahere reum ab Ecclesia extra casus permisso, illi per vim spirituales resisti possit a clericis, vel religiosis; & etiam claudendo

ostia, abscondendo reum; eumque de manibus ministrorum defendendo, & illis intimando poenas Ecclesiasticas contra violatores immunitatis in jure sanctitas.

76. Inq. Qualis sit culpa immunitatem Ecclesie violare? R. Est culpa sacrilegii: quia divinam offendit majestatem, qui ejus domum violat, & profanat; meritoque reputatur reus læsæ majestatis divinæ: quare ex jure civili crimen hoc poena capitali, & ultimo supplicio punitur. Per jus autem canonicum poenitentia publica, & poena pecuniaria in cultum Ecclesie violatæ applicanda, arbitrio Episcopi puniri potest. Præterea ex Bulla Gregoriana, & aliis excommunicatione majori lata plectitur: a qua solum Episcopi possunt absolvere.

77. Nota, quod licet expellentes a loco sacro reum, violentè immunitatem regulares tamen, qui ex justa causa illum a suo monasterio expellunt, nullatenus violatores immunitatis censendi sunt, maxime si in suis constitutionibus ita disponatur, ne videlicet quies, & religiosa observantia ob talium consortium perturbetur.

78. Extra casus vero exceptos, clerici tradentes reum iudicibus secularibus, gravissime delinquent, incurruntque irregularitatem, si reus occidatur, aut mutiletur. In casibus autem exceptis libere ipsis tradendus est, puniendus pro qualitate delicti, ac si ad Ecclesiam minime confugisset. Verum hoc fieri debet consensu, & licentia Episcopi, ad quem pertinet judicare, an casus exceptus sit, vel non. Nec ab Ecclesia, vel monasterio regularium debet extrahi reus etiam in casibus exceptis, inconsulto monasterii Prælato.

CAPUT III.

De quibusdam privilegiis peculiaribus regularium.

PUNCTUM I.

De Judice conservatore regularibus concesso.

79. Inq. 1. Quid sit Judex conservator

regularium? R. Est *Judex a Papa delegatus ad tuendos regulares ab in juriis illis illatis, illorum bona, jura, & privilegia defendendo.* Nam cum regulares in causis, & litibus cum extraneis solum Papam habeant pro Judice, ad quem passim recurrere vix est possibile, ideo Sedes apostolica eis concessit Judices, qui eos a manifestis injuriis defenderent: Sed caute, modeste, & solum necessitate coacti, quando injuriæ sunt certæ, debent regulares uti hujusmodi privilegio.

80. Inq. 2. Unde constet de hoc privilegio? R. Constat ex Bulla Sixti IV. incipiente: *Dum attenta*, Carmelitis concessa. Item ex alia ejusdem Pontificis data pro quatuor ordinibus mendicantium, ex privilegio Pii V. Julii II. aliorum Pontificum; unde nullus de eo dubitat. Conservatores autem electi aregularibus tenentur hoc munus sub culpa gravi acceptare: nisi fuerint religiosi, isti enim ex aliis privilegiis possunt se excusare ab hujusmodi commissione. Non expirat hæc morte Pontificis, quia habetur ex anterioribus, & quia est gratia facta.

81. Inq. 3. Quas qualitates habere debeat Conservator eligendus? R. Debet esse persona in dignitate ecclesiastica, vel personatu constituta. Ut Cardinalis, Archiepiscopus, Episcopus, eorum Vicarii generales, Abbas, canonicus Ecclesiæ Cathedralis, non Collegiæ, nisi dignitate gaudeat, etiam Prælati regulares, tam superiores, quam locales possunt eligi. Nobis autem vetitum est ex nostris legibus hoc munus acceptare, nisi ex mandato expresso Pontificis.

82. Inq. 4. Qua autoritate gaudeant Conservatores regularium? R. Gaudere autoritate pontificia intra loca, & Dioceses suæ electionis; sunt enim delegati Pontificis. Unde nequeunt impediri ab aliquo, esto sit Nuntius, aut Legatus a latere sub pœna excommunicationis, vel suspensionis a divinis *lata sententia*. Imo si opus fuerit, valent contra eos procedere ad regulares de manifestis injuriis defendendos. Verum si Conservatores limites suæ facultatis excedant, incurrunt suspensionem a suo officio per annum, & pars, quæ id procuravit, effectu secuto, incurrit excommunicationem, a qua absolvi nequit, nisi satisfacta integraliter altera par-

te damnificata. Curent regulares ab hujusmodi privilegii usu abstinere, nisi urgente necessitate fuerint adacti; vix enim valet unciæ pacis, quam libra victoriæ, maxime cum Superioribus, aut Episcopis.

PUNCTUM II.

Quædam dubia circa regulares.

83. Inq. 1. Quid possint regulares in suis Ecclesiis circa festos, & jejunia populo nuntianda? R. Hoc, & alia dubia resolvit a sacra congreg. 2. Julii 1620. *Primum*, si poterunt regulares in suis Ecclesiis dies festos, & jejunia populo nuntiari tempore offertorii in Missa? Respondit: *non prohiberi dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis nuntiari.* 2. Si poterant recipere oblata, vulgo *ofrendas del pueblo* in Missa conventuali, & pacem populo dare? R. *Posse, dummodo a perambulatione per Ecclesiam, ac similibus elemosynarum extortionibus abstinere.* 3. Si per Parochiam extra Ecclesiam possint portare pallium, vel pluviale? R. *Non posse.* 4. Quando vocatur ad corpus defuncti tumulandum, si debent ire ad Ecclesiam, ubi clerici congregantur, vel ad domum defuncti, vel expectare eos in itinere? R. *Parochialem Ecclesiam accedere, ubi clericus congregare consuevit.* Sed contrarium est consuetudine introductum, saltem in Hispania. 5. Si possunt celebrare diebus festis primam Missam, antequam Parochus in sua Parochia eam celebret? *Prohiberi non posse, quominus Missa in Ecclesiis regularium celebretur ante Missam parochialis Ecclesiæ.* 6. Si possint in Missa publicare præcepta Ordinarii, & admonitiones pro matrimoniis? R. *Non posse publicare matrimonia;* in quo tunc aliam partem concessit. 7. An possint prædicare in suis Ecclesiis in adventu, & quadragesima, si in parochiali prædicetur? R. *Posse, petita tamen benedictione Episcopi.* 8. Si possint portare pallium, & stolam, quando processiones sui ordinis extra suas Ecclesias faciunt? R. *Non licere regularibus hujusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambibitum illarum.* Intellige, nisi adsit con-

sue-

Cap. III. De quibusdam privilegiis pecuriaribus regularium.

suetudo in contrarium, vel consensus Episcopi. 9. Si possunt admittere in suis Ecclesiis mulieres, quæ prima vice post partum, ut prolem Deo offerant, accedunt? R. *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.* 10. Si, quando religiosus aliquis extra conventum moritur, cui Parochus sacramenta administravit, poterunt cadaver inde extrahere, & ad monasterium adducere? R. *Posse regulares, extra claustra decedentes, ad eorum Ecclesias deferri, etiam inconsultis Parochis.*

84. Inq. 2. An regulares vocati ab Episcopis ad processiones publicas adire teneantur? R. Affirm. constat ex *Trident. sess. 25. cap. 13.* Sed cum ibidem habeatur; *his tantum exceptis, qui in strictiori claustra perpetuo vivunt*, ideo cum nostra clausura sit strictior aliis, Clemen. VIII. duplici Bulla concessit nobis privilegium, ne compellamur assistere processionibus. Idem indulgit Paulus V. ex quo fit commendabilior nostris religiosi clausura a regula, & constitutionibus sibi præscripta. Ideo illam observare curent præcipue tempore talium processionum; magnæ enim inconsequentie redargui poterunt, si exempti ab eis motivo clausuræ, extra eam absque necessitate se præbeant conspicendos. *Neque in die Processionis et domo particulares egrediantur, ait Const. nostra 1. P. cap. 9. n. 7.*

PUNCTUM III.

De sepultura ecclesiastica.

85. Ex dictis in tractatu de simonia constat, quid sit sepultura ecclesiastica, & quomodo possit vendi. Si mortuo emptore nullus supersit hæres, aut successor, potest a Rectore, vel Prælato Ecclesiæ aliis consignari; non tamen inscriptiones, aut insignia prioris patroni sunt delenda, sed ad ejus memoriam relinquenda.

86. Inq. 1. Qui sint privati sepultura ecclesiastica? R. Pagani, judæi, & alii infideles, hæretici, apostatæ a fide, schismatici, excommunicati vitandi, interdicti, parvuli non baptizati, se ipsos occidentes, duellantes, & alii publici pec-

catores, ut usurarii, meretrices, concubinari, blasphemæ, religiosi proprietarii, & publice omittentes recipere sacramenta confessionis, & communionis, saltem semel in anno, nisi ante mortem respiciant, constat ex rituali Pauli V.

87. Inq. 2. Quis possit sepulturam sibi eligere? R. Omnis pubertatem nactus, etiam si servus sit, est liber pro eligenda sepultura, ubi voluerit, ut constat ex jure canonico, *de sepult. in 6.* Pater, imo & mater, illo mortuo, potest eam eligere pro filiis impuberibus. Electio autem sepulturæ probatur duobus testibus, vel ex scriptura simplici manu propria subscripta, vel ex testamento, aut codicillo. Quando quis moritur sine electione sepulturæ, sepellendus est in sepulcro suorum majorum.

88. Inq. 3. An Parochi, vel religiosi sepelientes cadaver in Ecclesia, cui non competit, peccent graviter? R. affirm. Quia fit injuria tum ipsi defuncto, tum Ecclesiæ, cui debetur: ideoque restituere tenentur tam cadaver, quam provenus ex funere acceptos. Constat ex *cap. 1. de sepult. in 6.*

89. Inq. 4. An exhumantes cadavera sepulta, ut expolient ea, grave peccatum committant? R. Affirm. constat ex *cap. Infames, q. 1.* Ubi sepulcra violantes, aut cadavera expoliantes declarantur infames. Verum non tenentur expolia restituere, quia habentur pro derelicto consumenda sub terra. Nequeunt exhumari corpora perpetuæ sepulturæ tradita, ut transferantur ad alium locum, vel ut a Judice recognoscantur, sine consensu Episcopi. *Cap. Corpora sancti. de Consec. Dist. 1.* Et licet aliqui asserant, id posse fieri a Prælati regularibus, ex privilegio Leonis X. res est incerta, proindeque sine Episcopi licentia fieri non debet.

90. Inq. 5. An religiosi possint eligere sepulturam? R. Sub distinct. nam Prælati valent eam eligere, locales in suo conventu, Provinciales in tota Provincia, & Generales in toto Ordine; subditi vero, cum non habeant velle, aut nolle, nequeunt eam eligere. *cap. ult. de sepulturis in 6.* Verum si ægroter in loco remoto a suo Conventu, potest eligere sepulturam religiosus etiam subditus; alias

se.

sepeliri debet tunc in Parochia.

91. Monasterii familiares, qui actu serviunt, & resident intra septa, ac ibi degunt, si moriantur absque electione sepulturae, ibidem sicut sepellendi ex privilegio Sixti IV. Carmelitis concessio. Idem dicunt plures de seculari. moriente in monasterio, si in eo ægroter, & moriatur, sepultura non electa; sed verius est debere sepeliri in Parochia, ut pluries declaravit sacra Congregatio.

92. Inq. 6. An regulares gaudeant privilegio ad sepeliendos in suis Ecclesiis eligentes in eis sepulturam? R. Affirm. constat, omissis antiquioribus, ex privilegio concessio a Clemente VIII. qui sub excommunicatione Papæ reservata vetuit quibusdam Parochis, ne pro associandis defunctis, in regularium Ecclesiis sepeliendis, plus peterent, quam pro ipsis ferendis ad Parochiam offerre solent. Idem confirmavit Urbanus VIII. dicens: *ne Parochi plus percipere possent in sepulturis, que sunt in Ecclesiis regularium, quam in eis, que sunt in propriis secularium clericorum.* Idem Pontifex decrevit hæredes defuncti liberos esse ad convocandos clericos sibi bene visos, & ad contribuendam eis cotam sibi bene visam, quin constringatur in quantitate, qualitate, aut numero. Nec sub gravi valet Parochus exigere quidquam ultra id, quod sibi debetur, nec cogere hæredes ad faciendam in Parochia suffragia, que in Ecclesia regularium velint celebrare.

93. Inq. 7. A quo fieri debeat officium super cadavera delata ad Ecclesias regularium? R. Sunt faciendæ a regularibus, quod tenet etiam de Ecclesiis monialium sibi subiectarum. Constat ex declaratione *sac. Cong. 8. Augusti 1629.* Oblata autem ratione funerum in monasteriis, eisdem omnino debeatur. *Ex cap. 1. de statu Monach.*

94. Inq. 8. An poscentes sepeliri habitu regularium, aliquas lucentur indulgentias? R. affirm. Consequuntur enim sine dubio aliquas indulgentias concessas ordini, cujus habitu volunt sepeliri, si ponatur habitus saltem super lectum moribundi; Ita ex privilegiis concessis a Leone X. & Adriano VI. assertit *Lezana Rom. 2. v. habitus regularis n. 9.* addens eas, pro mortuis, seu morientibus, con-

cessas, non esse revocatas a Paulo V. *Vid. Ferrar. v. indulg. art. 5. a. n. 38.*

95. Inq. 9. In qua Ecclesia sepeliri sit utilius defunctis? R. In illa, in qua cum majori frequentia, gravitate, & devotione officia divina persolvuntur: animæ eorum defunctorum participat proximius, & quodam jure de suffragiis, & officiis divinis, que celebrantur in Ecclesia, ubi eorum corpora sunt sepulta, ergo quo dicta officia peragantur frequentius, & cum majori devotione, eo amplius cedunt in earum suffragium.

PUNCTUM IV.

De quarta funerali.

96. Inq. An regulares debeant solvere quartam funeralem? Pro responsione nota, quod *quarta funeralis dicitur portio de funeralibus, & legalis Parochia competens.* Hæc portio aliquando fuit tertia pars, aliquando dimidia, sed frequentius quarta. Olim dabatur etiam Episcopis, & dicebatur *quarta canonica*, que jam non est in usu, saltem in Hispania; ideo solum est questio de quarta funerali.

97. R. 1. Regulares debere eam solvere, nisi gaudeant privilegio in contrarium, Constat ex *Clement. Dudum, de sepult.* Omnes tamen, vel fere omnes regulares eo gaudent ex pietate summorum Pontificum, qui ante, & post Tridentinum eis liberaliter concessere illud in remunerationem meritorum; que in obsequium Ecclesiæ, & fidelium præstare continuo satagunt.

98. R. 2. Carmelitas exalceatos esse exemptos a solutione quartæ funeralis. Constat ex privilegio ipsis specialiter concessio a Clement. VIII. in Bulla, que incipit: *Decet romanum Pontificem, data 5. Julii 1595.* Ubi confirmat anteriora privilegia Nicolai V. & Julii II. qui toti Ordini Carmelitano idem antea indulserunt. Constat etiam ex alia Bulla ejusd. Clem. VIII. incipiente: *Quod semel ab apostolica sede expedita 24. Maii 1597.* Ubi audita lite a quodam Rectore suscitata contra Carmelitas Disalceatos circa solutionem quartæ funeralis, illos ab eis absolvit, Rectori perpetuum silentium imponendo. Idem patet ex diversis decla-

Cap. III. De quibusdam privilegiis peculiaribus regularium:

rationibus sac. Congreg. & ex quinque sententiis definitivis Salmanticæ contra varios Ecclesiarum Rectores a nostro collegio obtentis; que videri possunt in *cur. su Salm. Moral. tract. 18. de privil. cap. 13. n. 227.*

99. Væ igitur illis Prælati, qui ex ositantia, ignavia, aut timore mundano hujusmodi privilegiis cedunt cum gravi præjudicio monasteriorum. Quia sicut equum est, ut Parochis detur, quod sibi jure debetur; ita æquissimum est, ut a Prælati jura monasteriorum sollicitè, & religiose defendantur.

PUNCTUM V.

De concionatoribus.

100. Inq. 1. Quid requiratur in concionatore? R. Quatuor condiciones inter alias requiri, nempe status clericalis, scientia sufficiens, honestas vitæ, & facultas, seu licentia legitima. Dicimus *inter alias*, quia imprimis requiritur vox clara, sonora, & pronuntiatio expedita, hæc quippe pro omni oratione rethorica est admodum necessaria, ut ajebat Demosthenes. Sed nunc de conditionibus moralibus agimus.

101. Requiritur itaque primo status clericalis, quia concionari, licet non sit actus ordinis sacri, est tamen munus ecclesiastici magisterii, ideoque requirit saltè primam tonsuram. Error enim est satis crassus, quod quilibet laicus possit explicare sanctum Evangelium, & prædicare verbum Dei. Quo circa hæretici misere errant, quia quemlibet docere posse sacram scripturam, se jactant. *Secundo*, requiritur scientia sufficiens, sine qua magisterii munus, uti est concionatoris, adimpleri minime valet. Ignorantia enim plurium errorum mater est. Unde apud nos provide statuitur, quod *prædicare nemo audeat, nisi prius Philosophiæ tribus annis, & Theologiæ scolasticæ, & expositivæ, & per alios tres moralis theologiæ, & canonum studio operam dederit, & a Provinciali, & aliis designatis, fuerit examinatus, & per secreta suffragia idoneus inventus. 2. par. Constit. cap. 10. n. 1.*

102. Tertio requiritur in concionatore honestas vitæ, aut probitas morum, nam

prædicatio operibus confirmari debet, ita ut concordet sermo cum vita, nec concionator similis sit Pharisæis, qui aliud docebant, & aliud faciebant. Hinc fortasse deploratur hodie adeo exiguus concionum fructus, quia concionatores non sunt sicut Prophete antiqui, vel sicut Apostoli in sanctitate vitæ. Aliqui censent concionari in peccato, esto occulto, esse peccatum grave: sed alii putant solum esse veniale, secluso scandalo, ut si peccatum concionatoris esset publicum, quia, ut diximus, prædicare non est actus ordinis sacri, nec deponit necessario statum gratiæ. Quarto requiritur ad concionandum facultas legitima, quia prædicare, aliosque docere, est munus proprium Episcopi, quod nemo potest sibi arrogare sine legitima facultate. Hæc facultas est legitima *missio*, juxta illud Apost. ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Regulariter solum conceditur Sacerdoti, aut Diacono.

103. Inq. 2. A quo recipiant regulares facultatem prædicandi? R. Eam recipiunt a summo Pontifice sub triplici conditione. *Prima*, quod sint prius examinati, & approbati a suis Prælati. *Secunda*, quod cum hac approbatione se præsentent Episcopo. *Tertia*, quod ab eo petant licentiam prædicandi in propriis Ecclesiis, & pro non suis eam obtineant. Ex quo fit, quod ad prædicandum in suis Ecclesiis sufficit regularibus licentia ab Episcopo petita; pro Ecclesiis vero non suis debent habere licentiam petitam, & obtentam. Omnia constant ex *Conc. Lat. sub Leone X. & ex Trident. sess. 5.*

104. Inq. 3. An, quando regularis petit licentiam prædicandi in propriis Ecclesiis, si Episcopo non solum non concedat, sed positive contradicat, valeat nihilominus in eis prædicare? R. negat. Constat expresse ex Bulla Clem. X. *Superna*, ubi decernitur: *quod si Episcopus benedictionem ne dum concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere regularibus prædicare: eosque contravenientes ab illo, tamquam Sedis apostolicæ delegato, censuris, aliisque penis ecclesiasticis coerceri, & puniri posse.* Cum hæc verba decretoria sint, non adest locus oppositæ sententiæ.

nixæ in Trident. ubi conceditur regularibus prædicare in suis Ecclesiis petita, & non obtenta licentia. Sufficit quippe licentia petita, dum Episcopus non contradicit; si vero non concedat, & simul contradicat, non sufficit, nec potest regularis prædicare adhuc in propria Ecclesia, quidquid alii dicant.

105. Inq. 4. An regulares volentes prædicare in Ecclesiis non suis possint ab Episcopo in doctrina examinari? R. affirm. Constat ex dicta Bulla. *Superna*, ubi dicitur, *posse autem Episcopum licentiam concessuram regularibus in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos... Quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit.* Unde sententia contraria in textu Concil. Later. fundata jam non est audienda.

106. Inq. 5. An regularis, obtenta licentia, prædicare valeat in Parochiis, repugnante Parocho? R. Posse de jure; non tamen expedire. Ratio primi est, quia supponitur regularis cum facultate obtenta ab Episcopo, qui Parochus Parochorum est. Non tamen expedit illius usus ob excusanda jurgia, & scandala, quibus fructus ex concione speratus arescat. Parochus utique potius optare, quam repugnare debet, sive per se, sive per alios, quod populus pascatur verbo Dei, & nomen Jesu per quemlibet annuncietur; si tamen repugnet, regulari pro tunc congruit omittere concionem ad edificationem, & pacem fovendam. Quod a fortiori observari oportet, si Episcopus, qui prius licentiam concessit, subinde reluctetur. Imò idem efficiat regularis, quando ex diverso ordine alius concurrat, & contendit prædicare in eadem Ecclesia, quia tunc prudens silentium, & religiosa modestia erit concio utilior.

107. Inq. 6. Quando regulares nequeant prædicare in propriis Ecclesiis? R. Quando Episcopus ipse prædicat, vel coram se facit solemniter prædicare. Constat ex Clem. Dudum, de sepult. Ratio primi est, quia Episcopus est magister populi, & dum magister loquitur, silere ceteri debent. Secundi vero, quia electus ab Episcopo pro solemniter concione coram se habenda, perinde se habet, ac Episco-

pus ipse. Aliis autem in casibus, licet Episcopus assistat concioni in sua Cathedrali, possunt regulares in propriis Ecclesiis concionari, aut ait Bened XIV. in Syn. lib. 9. c. 17. num. 7. & 8.

PUNCTUM VI.

De materia concionum.

108. Inq. 1. Quid debeant concionatores prædicare? R. Debent prædicare Christum crucifixum, regnum colorum, poenitentiam peccatorum, præmia virtutum, & supplicia delictorum. Hoc est prædicare verbum Dei. Hæc est materia propria concionum, in quibus evangelica doctrina, & sacra scriptura in sensu a sanctis Patribus explicato, & ab Ecclesia aprobato denuncianda est. Curent etiam concionatores inculcare, ut confessiones a poenitentibus recte fiant, nihil tacendo ex rubore, sed explicando plane omnia peccata cum vero dolore, & proposito firmo emendationis; nam major pars Christianorum ex defectu bonarum confessionum damnatur. Unde utilissima est concio, in qua omnia necessaria pro facienda bona confessione accurate declarantur.

109. Inq. 2. An circa alia extra prædicta concionari liceat? R. Affirm. Pro quo nota primo, quod concio est *sermo publicus a legitimo ministro prolatus, & ad bonum spirituale ordinatus.* Per ly *sermo publicus* convenit concio cum quolibet sermone, sive in Aulis, sive in Consistoriis politicis recitato; differt tamen ab eo per ultimas particulas: cum igitur concio ad bonum spirituale dirigatur, quidquid ad illud conducatur, erit utilis materia sermonis.

110. Nota secundo, quod triplex potest esse concio, vel sermo, nempe *dogmaticus, Panegyricus, & moralis.* Dogmaticus est, in quo dogmata fidei explicantur, præcipue si fiat Judeis, aut infidelibus. *Panegyricus*, in quo laudes, & excelentia Dei, B. Virginis, aut alicujus sancti prædicantur. *Moralis*, in quo divertere a malo, & facere bonum, detestari vitia, & virtutem amplecti expresso saudetur. Unde licet omnis concio sit moralis, quia ad bonos mores, &

pro-

professum animæ ordinatur; tamen quia hoc bonum variis mediis assequi valet, præfata divisio, ac differentia in concionibus attendi debet. Congruit quippe diverso tempore, & circumstantiis diversitas concionis, ut videre est etiam in sanctis Patribus Ambrosio, Augustino, Bernardo, Ildefonso, & aliis. Semper tamen quædam moralia, & aliqua explicatio doctrinæ Christianæ opportune adhibenda sunt, nisi circumstantia aliud deprecant. Potest etiam concio esse funeralis, ut in funeralibus Regum, & Nobilium adhiberi solet. Materia hujus concionis valet esse exponere virtutes, & bona opera defuncti, vera, & sincera; nemo enim est qui aliquid bonum non fecerit. Item brevitatis hujus vitæ, æternitatis futuræ, quod mors æquat omnia, nemini parcat, hodie mihi, cras tibi, quod nihil jubat in morte vanitas, sed vera humilitas, vera virtus, & similia.

111. Inq. 3. Quibus fulcire debet concionator sua proposita, seu themata? R. Debet primo illa fulcire autoritate sacre Scripturæ in sensu ab Ecclesia aprobato. Hæc est præcipua aurifodina, ex qua deducenda sunt fulcimenta omnis concionis. Secundo ex autoritate conciliorum præsertim generalium. Tertio ex doctrina SS. Patrum, sacrorum canonum, & theologorum graviorum. Quarto ex historia ecclesiastica, prout diximus tract. 1. a. n. 68. ubi quædam omni theologo concionatori utilia, tamquam fundamenta totius operis jecimus. Juvabit etiam ad confirmandam doctrinam afferre exempla sanctorum; nec non quandoque sententias sapientium etiam Gentilium, ut Platonis, Aristotelis, & similia, quibus sancti quoque Patres in suis concionibus usi sunt ad aliorum instructionem.

112. Inquires 4. A quibus abstinere debet concionator? R. Debet inprimis abstinere a subtilioribus questionibus populo rudi exponendis, ut jubet Trident. sess. 23. in princip. Deinde nequit concionator regularis in concionibus petere eleemosynas pro determinatis pauperibus sine licentia Episcopi ex declarat. sac. Congreg. Abstinere generaliter debet a verbis, & actionibus, quæ decori, & gravitati ministerii non congruant. Caveat igitur a proferendis falsis, & in-

certis miraculis, aut prophetiis, ab insipidis descriptionibus circumstantiarum loci, personæ, temporis, & similia, a fabulis Poetarum, nisi breviter, & apertissime quandoque veniant; a fabellis, facetiis, & verbis inutilibus, præcipue vero ab illis, quæ ex mala explicatione partium corporis sine verecundia, aut horrore audiri nequeunt, vel quæ contra aliquem in particulari accipi possunt. Doctrina enim in universali, non in particulari danda est a concionatore, Maxime vero absteineat invehere in publico contra ecclesiasticos, Prælatos, & Episcopos.

113. Unde in septem casibus potest suspendere, & punire Episcopus concionatorem etiam regularem, ut regularium exemplo alii attentare similia non audeant. 1. Si prædicet miracula falsa, aut incerta. 2. Si prædicet prophetias sine fundamento in sacra scriptura; vel a Papa, aut Ordinario non approbatas. 3. Si predicando, de Episcopis, vel de suis Prælati detrahat. 4. Si prædicet propositiones erroneas. 5. Si proferat propositiones scandalosas. 6. Si prædicet propositiones hereticas. 7. Si prædicet, Episcopo contradicente, pro ut supra. Sic habetur in citato Concil. Lateran. Trident. & Bulla *Superna*. Ubi etiam cavetur, ne Episcopus privet omnes simul concionatores unius conventus.

114. Prædicare prophetias, indulgentias, aut miracula falsa est peccatum grave, quia est mendacium perniciosum in materia gravi. Secus est de citationibus falsis, supposita veritate doctrinæ, ut si pro Jeremia citetur Isaias; pro Augustino Ambrosius, aut unum caput pro alio; hoc enim veniale non excedit. Idem est de miscente in concione fabulas, facetias, vel aliquid ridiculum, quia licet omnino sit vitandum, grave tamen peccatum non reputatur. Regulares in suis concionibus ad populum tenentur uti Evangelii, & Epistolis cleri sæcularis Ecclesiæ, ubi prædicant ex declaratione sacre Congreg. Curent pariter hortari populos ad solvendas fideliter ecclesiæ decimas.

115. Debet etiam concionator in reprehendis vitii abstinere a contumeliis, injuriis, & execrationibus, mo-

Mmm 2 nea

nendo suaviter, & efficaciter ad ea vi-
tanda, ita ut prius rationibus, & exem-
plis opportunis intellectum audientium
convincat, ut subinde lucratur eorum
voluntatem. Vox concionatoris semper sit
gravis, & naturalis sine clamoribus, aut
vociferationibus; non semper in eodem
teore, sed quandoque mitior, quando-
que acutior, sive altior, accomodata,
prout exigunt oratio, & res, quæ di-
cuntur. Caveat orator, ne sit nimis ve-
lox, aut nimis tardus in dicendo, quia
primum confussionem; secundum tedium
affert. Curet etiam, ne sit nimis longus
in concione, quia concio nimis longa fas-
tidium generat.

116. Quia propter etiam missionarios
monere velim, ne sint nimis onerosi fi-
delibus: vel demorando in eodem oppi-
do, plusquam oportet, & prudentia dic-
tat, vel prolongando conciones ipsas pro-
lixius, quam congruit; quia primum præ-
fert gravamen populis, & secundum nau-
seam, & molestiam audientibus. Curent
igitur omnia suaviter disponere, ita ut
libenter admittantur, jucunde audiantur,
ac tandem comiter, & reverenter, ut

TRACTATUS QUADRAGESIMUS

DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

Quamvis propositiones in materia
morum damnatae in toto hoc opere
reserantur sparsæ; pro aptiori tamèn
earum noticia simul cum brevi explica-
tione traduntur in eodem tractatu; cui
etiam aliæ propositiones spectantes ad
dogmata adiunguntur.

S. I.

Propositiones quadraginta quinque ab
Alexandro VII. ut nimirum tamquam
scandalosæ omnes, & singulæ damnatae
die 24. Septembris 1665. & 18. Mar-
tii: 1666.

I.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore

eorum Apostolico muneri congruit, di-
mittantur.

117. Actio concionatoris est comes,
& complementum locutionis, ideo de-
bet esse conformis rebus, quæ dicuntur,
ita ut deserviat pro majori explicatione,
& intimatione vocis. Quapropter non
semper eadem, licet semper modesta,
& gravis esse convenit. Sit etiam natu-
ralis sine affectatione; affectatio enim,
tam in voce, quam in actione omnino
vitanda est. Vitandi pariter sunt quidam
gestus, & motus histrionici pedibus, ca-
pite, & manibus: solum motu dexteræ
manus, rarius sinistræ utatur conciona-
tor ad suas affectiones melius indicandas:
numquam pulpitem manu percutiat, nec
pede supplantat, aut brachia nimis pro-
tendat, omniaque alia indecora fugiens,
studeat, ut vox, actio, motus, & ges-
tus modestiæ, gravitati, maiestati, &
sanctitati loci, & ministerii conveniant.
Hæc levi calamo pro hæc materia atti-
gere sufficit: cætera enim pro conciona-
tore instruendo ad theologiam expositi-
vam, & rethoricam attinent.

teneretur elicere actum fidei, spei, & cari-
tatis ex vi præceptorum divinorum, ad
eas virtutes pertinentium.

1. Hujus propositionis falsitas patet,
tum ex sacra pagina, ubi nihil frequen-
tius commendatur, quam actus fidei, spei,
& caritatis; neque ad aliud principalius
ordinatur scriptura sacra, nisi ad nos
instruendum circa has virtutes theologa-
les, quibus potissimum Deus colitur. Tum
ex necessitate harum virtutum ad salu-
tem consequendam, quæ non consequi-
tur in adultis sine earum exercitio, &
actibus. Nam habitibus nec meretur, nec
demeretur. Igitur ut pote falsa, & scan-
dalosa, proscripita est dicta propositio.

2. Eidem affines sunt aliæ dicentes,
satis esse semel in vita actum fidei eli-
ce-

cere, nec singulis quinquennis obligare
per se præceptum caritatis, quæ, & si-
milia vix capi valet, quomodo potuerint
ab homine catholico, alias instructo, cog-
itari, & quod plus est, doceri.

3. Qui deliberate recitat symbolum
fidei, vulgo oratio: *pater noster*, & alias
orationes Ecclesiæ, audit sacrum, & reci-
pit devote sacramenta, elicit utique ac-
tus fidei, spei, & caritatis. Et hinc for-
te Authores dictarum propositionum mo-
ti sunt ad eas scribendas, putantes sic
sufficenter satisfieri dictis præceptis, nec
majorem dari obligationem. Sed est ma-
la explicatio, & pejor doctrina. Debet
enim doceri *pluries* in vita nos teneri ac-
tus fidei, spei, & caritatis elicere ex vi
præceptorum divinorum ad eas virtutes
pertinentium. Quid facilius, quam cre-
dere in Deum? Quid suavius, quam in
Deum sperare? Quid dulcius, quam
Deum diligere? Non labor, sed favor
est, quod nobis in his præceptis jubetur,
nisi fingamus laborem in præcepto.

II.

*Vir Equestris ad duellum provocatus
potest illud acceptare, ne timiditatis no-
tam apud alios incurrat.*

4. Plurima effugia hujus damnationis
occlusit Benedict. XIV. proscribens alias
quinque propositiones, quibus reprobatur
crimen ferale duelli, ita ut solum ad be-
llum dirimendum autoritate Principis li-
ceat, sicut David pugnavit cum Goliath.
De cætero ex nulla causa famæ, hono-
ris, fortunæ, aut alterius cujuscumque
est licitum illud offerre, aut admittere.

III.

*Sententia, asserens Bullam cæne solum
prohibere absolutionem hæresis, & alio-
rum criminum, quando publica sunt, &
id non derogare facultati Tridentini, in
quo de occultis criminibus sermo est ann.
1629. 18. Jussit in consistorio sacrae con-
gregationis eminentiss. Card. visa, & to-
lerata est.*

5. In diversis diversa legi in expla-
natione hujus propositionis, atamen pre-
senti disciplina atenta, finita est contro-
versia, quidque agendum sit in hæc ma-

teria, dictum est jam in suis locis.

IV. *Prælati regulares possunt in foro cons-
cientiæ absolvere quorcumque seculares ab
hæresi occulta, & ab excommunicatione,
propter eam incursum.*

6. In hac propositione solum dam-
natur, quod ipsa exprimit circa sæcu-
larium absolutionem. Verum non solum
sæculares, sed nec alios regulares, nec
sibi subditos valent Prælati regulares ab-
solvere ab hæresi, etiam occulta, quia
est reservata Pontifici, & tribunali In-
quisitionis, ubi adest: nec Bulla cruciatæ
ad id quidquam valet, hæc omnia patent
ex dictis tract. 27.

V.

*Quamvis evidenter tibi constet Petrum
esse hæreticum, non teneris denunciare,
si probare non possis.*

7. Hæc propositio non distinguit ac-
cusationem a denuntiatione; illa, non ista
probationem exigit, unde etiam alia
delicta certa respectivis Superioribus de-
nuntiari sæpe debent, licet probari non
possint. Quod maxime urget in crimine
hæresis, & aliis, quæ hæresim sapiunt,
& vergunt in damnationem commune.

VI.

*Confessarius, qui in sacramentali con-
fessione tribuit penitentem chartam pos-
tea legendam, in qua ad venerem incitat,
non censetur, sollicitasse in confessione, ac
proinde non est denunciandus.*

8. Utrumque est falsum, censetur quip-
pe sollicitasse in confessione, quia in con-
fessione tribuens chartam, postea legen-
dam, incipit sollicitationem, ideoque me-
rito est denunciandus. Idem est, si illam
tribuat immediate ante, vel post con-
fessionem, vel prætextu, aut occasione,
vel extra occasionem confessionis in con-
fessionario, aut alio loco ad confessionem
electo simulando ibidem confessionem.

VII.

*Modus evadendi denunciandæ sollicita-
tio-*